



160

1.

2.

3.

4.

5.

6.

160

1.

2.

3.



1673.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
DE

02434  
1681  
Ma  
2 a  
10

# FRUCTIBUS ULTIMI ANNI

Sivè

Bon denen

*Letzt-Jährigen Intraden* / 3/

QUAM

Sub AUSP. ET PRÆSID. SS. TRINIT.

EX DECRETO ET AUCTORITATE

*Magnifici, Nobilissimi, & Amplif-  
simi Actorum Ordinis in Inclyta*

*Argentoratensium Universitate*

Pro

Summis in utroque Jure Honoribus

& Privilegiis DOCTORALIBUS

ritè consequendis,

*Publico & solenni Examini submittit,*

GEORGIUS FRIDERICUS Orth.

Hanoicus.

*Ad Diem 19. Martii M. DC. LXXXI.*

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.



*Serenissima atque Celsissima*

Principi ac Dominae

DOMINAE

**ANNÆ MAGDALENÆ,**

Natae Principi Palatinae ad Rhenum, Duci Bava-  
riae, Comiti Veldentiae & Sponhemii,

*Illustrissimi Comitis ac Domini*

DOMINI

**JOHANNISREINHARDI,**

Comitis in Hanau/Keineck und Zwenbrücken / Do-

mini in Münzenberg/Siechtenberg und Ochsen-

stein/ Episcopatus Argentoratensis

Archimareschalli &c.

Comitis ac Domini mei, dum viveret, Clementissimi, nunc

in coelesti vita beatissimi: perpetua seculorum

& temporum memoria dignissimi,

**VIDUÆ RELIGIOSISSIMÆ,**

Principi ac Dominae meae Clementissimae,

*Disputationem hanc Inauguralem Juridicam in publicum*

*hamillima observantia testimonium, inque gratia & Cle-*

*mentia ulterioris munimentum,*

*offert ac dedicat,*

*Simulque*

Vitam, incolumitatem, felicitatem, salutem perpetuam, à summo


Bonitatis fonte debitâ pietate apprecatur

**SERENISSIMÆ CELSIT. EFVS**

Devotissima fide

addictissimus Cliens

Georgius Fridericus Orth.



*BENEVOLE LECTOR!*

**N**imia itineris festinatio, quæ non leve in mora periculum habet, jubet & urget me, utilissimum & in foro satis frequens argumentum, de Fructibus ultimi anni, sive von denen Letzte Jährigen Intradem/ quod pro Disputatione Inaugurali Juridica selegi, tumultuaria ferè manu paucissimis absolvere; quæ tantum non quasvis raptim in chartam conjicere theses coëgisset, ni tractationi illi initium jam fecissem; quare quod non ea, quam Tu forsàn expectasti, quaque mecum constitui & exorsus sum, diligentia & accuratione illam persequi licuerit, id ob allatam rationem excusatum habeas; atque omissa, donec ultimam eidem imponere manum contingat, Tua eruditione & favore supplere velis, enixè rogo.

A 2 Sit

Sit ergò B. C. D.

DISSERTATIONIS NOSTRÆ  
De  
FRUCTIBUS ULTIMI  
ANNI  
THESIS I.

**O**Mnem aliam de Fructibus ultimi anni tractationem ex methodi Philosophicæ ratione antecedit illorum Definitio nominalis. De Fructuum ETYMOLOGIA, qui vel à fruendo vel à ferendo dicti, vid. Venerandum Senioremem nostrum, Vium Magnificum Dn.D.Rebhan, &c.Patronum ac Præceptorem nostrum omni observantia æternùm colendum, in Hodeg. Jur. chart. 3. Clim. 1. p. m. 247. Dn Eckolt, ad ff. tit. de usur. & fruct. §. 11. C. J. A. l. 22. tit. 1. th. 29. pr. Unde verò ANNUS vel adjectivum ULTIMUS, dictum, variè exposuit Calvin, in Lexico suo Jurid. voc. annus & ultimus.

Etymologia,

II.

Homonymia

Quotupliciter verò FRUCTUS vocabulum in jure accipitur, eleganter exposuit prælaudatus modò Vir Magnificus &c. in Hodeg. Jur. d. l. Hoc in loco nobis dicitur non pro ipso corpore, sed pro jure percipiendi fructus, quatenus denotant latissimè quodcunque emolumentum, quod non tantum est fructus tam naturalis. §. 38. I. d. R. D. l. 28. pr. ff. de usur. & fruct. quam civilis, ut sunt pensiones, mercedes, vecturæ jumentorum. l. 39. §. 1. ff. de legat. 1. l. 62. pr. ff. de R. V. l. 55. ff. de condict. indeb. l. 38. ff. de usur. Sed etiam quævis alia utilitas quæ jure aliquo percipiendi fructus, ex qualibet re tam corporali quam incorporali, non modò ad necessitatem, sed etiam ad lucrum & voluptatem

ptatem capi potest. *l. ult. ff. de usur. l. un. §. 7. C. de R. U. A. l. 4. §. 2. l. 6. §. 6. ff. si servit. vindic. l. 9. ff. de usufr. l. 7. ff. solut. matrim. ibique glossa. add. Wesemb. in  $\omega$ . ad ff. tit. de usufr. n. 8. Dn. Bicc. in aur. sect. 3. th. 37. sub litt. nn. C. J. A. l. 22. tit. 1. th. 29.*  
 Quò referimus etiam salaria ex officiis percipienda; item præben-  
 das, decimas &c. Per ANNUM hic intelligimus non præcisè  
 eum, qui communiter apud nos Christianos computatur à nati-  
 vitate Salvatoris nostri, quique 365. diebus semper constat; nec  
 eum, cui de jure Saxonico 6. septimanæ, & hodie de Consuetudine  
 Saxonica adhuc 3. dies adjiciuntur, secundum Berlich. *part. 1. dec. 115. num. 4.* apud Dietherr. in *continuat. thes. pract. Besold. voc. Jahr und Tag.* Sed eum potius hic indicamus annum, qui relatè se habens, pro diversitate subjectæ materiæ, constat modò communiter 365. diebus continuis, modò pluribus, ut in sylva cædua, qui quinquennium plerumque conficit, modò pau-  
 cioribus, si scilicet singulis semestribus aliquid renascatur, ut  
 lana. *Ec. l. 7. §. 6. §. 7. ff. de solut. matrim. l. 5. l. 6. ff. eod. Besold. thesaur. pract. voc. Jahr.* Nam tempus illud sive brevius sive longius sit, quam ut aliàs in jure, scilicet pro 365. diebus accipitur, *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 4. §. 5. ff. de stat. lib. l. 134. ff. de V. S.* tamen pro uno anno hic habetur. *d. l. 7. §. 6. §. 7. ff. solut. matrim.* dummodò illud tempus semel producat fructus scilicet unius generis. conf. Varronem apud Bachov. ad Treutl. *vol. 1. disp. 16. th. 8. lit. D.* ANNUS verò ULTIMUS dicitur, qui non tantum in perceptione fructuum communiter postremus, seu qui post se nullum amplius sequentem habet, sed & qui tam suprâ se quam post se nullum alium agnoscit: quem etiam computari dicimus, à quolibet die percipiendorum fructuum, itidemque eo quo percepti sunt, die terminari. Plura qui scire hac de re desiderat. vid. Calvin. *Lexicon Jurid. sub voc. annus.* & Besoldum *d. l.*

III.

Quod ad Synonymiam, licet vocabulum Reditus à Dn. Eckolt. & Speidel. latius accipiatur, quam Fructus, hic tamen illa pro *ισοδυναμῶσι* habemus: Dicuntur etiam Germ. *Renten/ Gefäll/ Einkünfte/ Intraden* &c. vid. Speidel. *specul. voc. Renten.* Gallicè *Revenus, rentes*; Italicè *Entrate.*

Synonymia.

A 3

IV. Fru-



IV.

Definitio.

Fructus igitur ultimi anni, die leste jährige Einkünfte / Intra-  
den &c. nobis definiuntur, quod sint jus percipiendi commoda  
& emolumenta quæcunque, ex re vel occasione rei provenientia,  
quatenus eo, quo finitur jus perceptionis, anno supersunt, vel in  
solidum, vel pro rata temporis.

V.

GENERIS loco ponimus jus percipiendi, quia hic fru-  
ctus malum sub ratione juris percipiendi emolumentum rei,  
quam sub ratione corporis, quod emolumentum est, considerare:  
maximè propter subjectum, quod jure aliquo fructus ultimi anni  
acquirere vel non acquirere potest. Unde vero FORMA seu  
DIFFERENTIA SPECIFICA desumpta sit, infra ex tracta-  
tione Formæ patebit.

VI.

Divisio.

Dividuntur, ut ex Definitione jam liquet, in Fructus TO-  
TIUS ultimi anni, & fructus CERTÆ QUANTITATIS, qui  
pro rata temporis, quo jus percipiendi stetit, percipiuntur; de  
quibus amplius per theses sequentes constabit. Cæterum quod  
divisionem fructuum ut Corpus & in genere consideratorum  
spectat, qua ex naturalibus alii naturales in specie, alii industriales  
dicuntur, notandum; quod quamvis communis illorum defini-  
tio in thesi vera sit, aliud tamen quandoque de fructibus in hypo-  
thesi dicendum, ut sæpè ad industriales referendi sint, qui commu-  
niter aliàs naturalibus accensentur, cujus rei determinatio, quo-  
niam non statim expeditum, nec certo jure definitum, qui-  
nam hoc vel illo casu ad naturales, quive ad industriales sint re-  
ferendi, judicis arbitrio relinquenda est. vid. Vultej. de feud. lib. 1.  
c. 11. n. 214. Carpz. part. 3. const. 32. def. 24. n. 12. exemplum sit  
in fructibus arboreis, vulgò Baumfrüchten. in l. 45. ff. de usur.  
quorum primi ob curam & industriam, qua primis annis arbores  
fructiferæ reddendæ, non ineptè ad industriales; reliqui verò sub-  
sequentium annorum, peracta jam majori industria, ad naturales  
referuntur. Bachov. ad §. 27. I. de R. D. p. m. 245.

VII.

Deinde hic minimè fructuum percipiendorum diversi  
significatus inter se sunt confundendi; alii enim percipiendi dicun-  
tur pendentes & extantes, quorum dominium à possessore fundi  
non-

nondum est acquisitum, acquiri tamen per separationem ac perceptionem potest; alii verò percipiendi communiter dicuntur illi qui non sunt in rerum natura, neque existentia eorum speratur, potuissent tamen existere, nisi per possessorem stetisset, si nimirum ille debitam in re adhibuisset diligentiam. *l. 25. §. 4. ff. de hered. pet. l. 62. in fin. ff. de R. V. l. 33. ff. eod. §. 2. I. de offic. Jud.* A quo utroque significato differunt fructus futuri, qui scilicet non extant quidem, sed ipsorum tamen existentia probabiliter expectatur. *l. 24. pr. ff. de legat. 1.*

## VIII.

Tertiò ad fructus perceptos sufficere putamus separationem illorum à re vel corpore, cui cohærebant, factam à nobis vel aliis nomine nostro, quamvis adhuc humi jaceant nec in horrea collecti sint. per expressum text. *in l. 78. ff. de R. V. §. arg. l. 13. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* add. præludatum Virum Magnificum &c. in *Hodeg. Jur. p. m. 246. Schneidevv. ad §. 36. I. de R. D. Locam. in not. ibid. Dissent. Carpzov. part. 2. const. 37. def. 20. n. 8. §. alii.*

## IX.

Fructus Civiles, qui & in nostræ Dissertationis objectum veniunt dividi possunt ratione durationis, in *certos seu immutabiles. & incertos seu mutabiles*, sive ut Practico loquuntur: in *Beständige und Unbeständige*; Inter illos referuntur, *alle Jährliche Zinse und Gülchen an Früchten/Geldt/Wein/Hüner &c. Statt und Dorfweeth. &c.* inter hos verò, *Zoll/Umzugelt/Zehenden/Gravel &c.* de quibus & usu hujus divisionis latius vid. apud Speidel. *specul. sub voce Inraden.*

## X.

Sed cum scire rem sit per causas cognoscere, proximum est, ut & illarum indagatiōni in materia nostra methodicè porro inhæreamus. Ex jure Naturæ (quod in relatione ad hominem Justiniano Imp. jus gentium, §. 11. *I. de R. D. Dn. Eckolt. ad ff. tit. de I. §. I. §. 23.* Moralists verò *ναλ' ἐξοχὴν* jus naturæ dicitur. vid. *Grot. de Jure B. §. P. I. I. X. §. XI.*) non tantum in genere dependet, ut quis vel de voluntate Domini ex re illius per §. 41. *I. de R. D. l. 9. §. 3. ff. de A. R. D. junct. l. 21. C. mandat.* vel citra voluntatem Domini ex re aliena bonâ fide possessâ, jure accessionis ceu modi acquirendi naturalis. §. 36. *I. de R. D.* add. *Grot.*

Causa efficiens remota.

Grot. de jur. B. § P. II. X. IV. § XI. Dn. Eckolt. ad ff. tit. de A. R. D. §. 26. cum seqq. fructus percipere possit. Sed etiam in specie, ut quis fructus ultimi anni vel integros vel pro rata, scil. hanc vel illam portionem fructuum, consequatur, quia naturæ præceptum est, suum cuique esse tribuendum. §. 3. I. de §. §. 7. atque neminem ex alterius damno esse locupletandum. l. 14. ff. de Condict. indeb. l. 206. ff. de R. §.

In jure verò Civili nostro vel naturalem æquitatem vel aliam rationem Civilem sequente de fructibus tam in genere quorumcunque annorum, quam in specie pro rata ultimi anni percipiendis variè propter varias rationes dispositum est; quæ juris Civilis dispositio passim ex thesibus nostris apparebit.

## XI.

Causa effie.  
Propinqua.

*Causa propinqua*, sicut perceptionis fructuum quorumcunque annorum, ita etiam ultimi anni, est vel Lex proximè perceptionem fructuum constituens, exempla vid. apud Eckolt. ad ff. tit. de usufr. §. 3. & Strauch. Dissert. VII. aph. 34. vel Voluntatis Constituentium jus aliquod percipiendi fructus; ad quam spectant modi constituendi, quibus voluntas illa declaratur & involvitur: atque hoc in illis vel expressè jus percipiendi fructus constituit, vel mediante jure alio constituto tacitè & per consequentiam ad illud tendit.

## XII.

Ita primò ex modis constituendi Dotem, dependet mariti jus percipiendi fructus dotales & in specie ultimi anni, de quibus vid. Strauch. Dissert. 3. aph. 10. Eckolt. ad ff. tit. de Iur. dot. §. 3. Hoc ipso enim, quo dos marito constituitur, ipsum etiam jus percipiendi fructus dotales eidem acquiritur, licet enim id expresse non agatur, jure tamen ipso dotis constitutione involvitur, qua maritus ejus fit dominus Civilis, eamque ad sustinenda matrimonii onera à muliere accipit. §. 1. I. quib. alien. lic. vel non. l. 13. §. 2. ff. de fund. dot. l. 9. C. d. R. V. l. 7. §. 3. ff. de jur. dot. l. 7. pr. §. l. 56. §. 1. ff. eod. Quemadmodum autem in dote repetenda animadvertendum est, quid pactis dotalibus vel statutis locorum dispositum sit, docente Richter. d. success. ab intest. sect. 4. n. 5. & seqq. ita etiam eandem in percipiendis fructibus pro rata ultimi anni observationem commendamus: quale exemplum habetur in l. 31. ff. d.

*ff. de pact. dotal.* Si verò nec pacta nec statuta rem decidant, ex jure communi definienda est. Struv. in syntagm. Jur. Civ. exerc. 30. thes. 48.

XIII.

Sic *secundò*, ex modis quibus ususfructus, qui per formam suam est jus utendi fruendi, constitui solet aut potest, docentibus §. 1. *I. d. usufr. l. 3. pr. ff. eod.* & in genere DD. *ad tit. ff. d. usufr.* Similiter *tertiò*, ex modis quibus feudum constituitur vel acquiritur, exponentibus Dn. Ludvv. *in synopsis. Jur. Feud. c. 7. & seqq* nec non Feudistis communiter de fructibus quoque ultimi anni statuendum erit. Idemque iudicium de modis, quibus aliud jus in re vel dominium utile constituitur, unde aliqua Fructuum aut reddituum perceptio fluit, ferri poterit, quæ singula hic recensere longum foret.

XIV.

Non exiguam tamen considerationem hic meretur, *Causa sine qua non aut occasio*, quæ proximè fructibus ultimi anni locum facit, sive omnibus sive pro rata tantum percipiendis. Illam hic constituunt ut plurimum modi, quibus jus percipiendi fructus resolvitur.

Causa sine qua non.

XV.

Ita (I.) ratione dotis, causam hanc constituunt modi dissolvendi matrimonium; soluto enim matrimonio, cum dos sit determinata & restricta ad illud, sequitur, jus quoque mariti, quod in dote habuit, resolvi Struv. *in syntagm. Jur. Civ. exerc. 30. thes. 47.* Unde porrò sequitur, si hac vel illa anni parte, soluto matrimonio, jus quoque dotis resolutum fuerit, etiam jus percipiendi fructus dotales, pro rata illius ultimi anni, quo solutum est matrimonium, æstimandum esse. *l. 7. §. 1. ff. solut. matrim. l. 11. ff. eod. l. 78. §. 2. ff. de jur. dot.* Modos autem, quibus matrimonium solvitur, quique simul hic locum perceptioni fructuum ultimi anni faciunt, agnoscimus in genere eos, quibus matrimonium absque culpa seu delicto alterutrius conjugis solvi contingit; Requiritur autem ad hos modos solvendi, pro effectu, quem dixi, ne contrario pacto fuerit cautum, ut scil. extremi anni fructus omnes lucro mulieris cederent *l. 31. ff. d. pact. dotal.*

XVI.

(II.) Ratione ususfructus, porissimum fit locus fructibus ultimi

B



ultimi anni si morte fructuarii jus ejus resolutum fuerit. §. 37. I. d. R. D. l. 13. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 25. §. 1. ff. de usur. l. 58. pr. ff. d. ususfr. l. 9. §. 1. ff. locat. Non tamen exclusis etiam reliquis modis, quibus jus fructuarii amittitur, qui ita scilicet comparati sunt, ut per modos illos fructus ejus anni, quo illud finitur, superfuerint, & nulla fructuarii culpâ amissio contigerit: De modis, quibus ususfructus solvitur vel amittitur, vid. Eckolt. ad ff. tit. quib. mod. ususfr. vel us amitt. & DD. communiter ad d. tit. In specie autem ratione ususfructus, ut in eo unâ cum modis tollendi ususfructus, locus acquirendis fructibus ultimo tempore ab hæredibus fructuarii fieri possit; Requiritur, ut à fructuario eo, quo dicitur modo in l. 13. ff. quib. mod. ususfr. amitt. §. l. 78. ff. de R. V. fructus ultimi anni jam sint percepti, aliâs licet maturi ad hæredes non pertinent; quod secus est in bonæ fidei possessore & Colono, §. 37. I. d. R. D. l. 8. in fin. ff. d. ann. legat. Non obstat. l. 26. ff. d. ususfr. add. Hartm. Pistor. lib. 1. q. 24. n. 16.

XVII.

(III.) Ratione Feudi, itidem modi aperiendi vel finiendi vel transferendi illud fructibus ultimi anni percipiendis locum & occasionem præbent; ubi tamen iterum excludimus modos amittendi feudum ex culpa vasalli. Ita etiam secundum præfatum modum ex causis dissolvendi alterius domini utilis aut juris in re, ut est Creditoris in pignote antichretico &c. Proficiscitur occasio & causa sine qua non percipiendorum fructuum aut reddituum quorumcunque ultimi anni, quo jus illud finitur, add. Schrader. de Feud. part. 2. part. 9. sect. 3. n. 84. & seqq.

XVIII.

Subjectum.

Persona, quæ fructus ultimi anni vel in totum vel pro rata temporis percipiunt aut percipere possunt, sunt, quibus vel in genere jus percipiendi aliquod fructus & redditus quorumcunque annorum, idque vel proximè & immediatè, vel mediatè & in consequentiam jam constitutum vel acquisitum est; vel quibus in specie jus pro acquirendis & percipiendis fructibus ultimi anni competit: sive illud juris ex propria sua persona sive jure successionis, eâque vel universali vel singulari habeant. Consideramus autem hic propriè eas, quæ rem, ex qua fructus aut redditus quocunque jure percipiunt, restituere tenentur, aut quarum aliâs jus

Org

jus quoscunque fructus, redditus, salarium &c. percipiendi resolutum est.

XIX.

Quæ igitur ex propria persona jus aliquod percipiendi tum quorumcunque annorum, tum etiam ultimi anni fructus sibi constitutum vel acquisitum habent vel habere possunt, pro diversitate causarum vario etiam nomine & qualitate appellandæ veniunt. Potiores tamen sunt; maritus, cui dos est constituta; Fructuarius, qui usumfructum sibi constitutum habet; Vasallus qui feudum; Emphyteuta, qui emphyteusin habet; Colonus, cui fundus locatus; Item quæ rem libelli aut precariæ jure possident; Item quibus alii redditus quicunque atque salaria propter officia & negotia gerenda sunt constituta; Item emptor, cui vendita res cum pacto de retrovendendo, & aliæ personæ, ad quas jus aliquod percipiendi fructus & utilitates cujuscunque generis pertinere potest, ut finito eo, quæstio de fructibus ultimi anni incidere possit. conf. Cujac 4. F. 30. ad §. his consequenter. Schrader. de feud. part. 2. p. 9. sect. 3. n. 84. & seqq. Sed tum demum ad has personas fructus ultimi anni vel in totum vel pro rata temporis pertinent, si aliquo modo jus percipiendi istis vivis solutum fuerit. l. 26 ff. de usufr. l. 5. §. fin. ff. si usufr. per. aliàs quæstio & causa recidet ad illorum successores.

XX.

Deinde solent personæ istæ vel per se vel per alios uti frui, redditusque quoscunque percipere; atque per alios vel secundum tit. 7. per quas person. cuique acquir. & tott. tit. ff. de procurat. d. Negot. gest. & mand. vel secundum l. 12 §. 2 l. 58 pr. ff. de usufr. l. 9. §. 1 ff. locat. l. 8. §. 2. ff. de peric. & comm. rei vend. vel etiam alio modo. Hinc quando fructuarius Colono fundum fructuarium ad certum tempus locavit, ut singulis annis pensio ipsi solveretur, ipse verò ante tempus, quo Colonus fructus ex fundo locato percipere potuit, nec non ante pensionis terminum mortuus est, non poterit locus fieri tum perceptioni fructuum in Colono, tum etiam exactioni pensionis pro rata ejus ultimi anni seu temporis quo locatio stetit, in usufructuarii heredibus; sed proprietarius, consolidando usumfructum cum proprietate, solus fructus sibi vindicabit, exclusis hæredibus fructuarii &

B 2

Colo-

Colono ab illorum acquisitione, *arg. l. 9. §. 1. ff. locat. § l. 58. ff. de usufr.*

## XXI.

Ad quos porrò aliquo successionis jure fructus ultimi anni pertinent, illorum frequentiores & potiores sunt hæredes eorum, quibus ex propria persona jus percipiendi tum fructus quorumcunque annorum, tum in specie fructus ultimi anni competit. Ita mortuo vasallo absque hærede masculino, relictis filiabus vel hærede testamentario, ut ita feudum devolveretur vel ad dominum vel ad fratres aliosque agnatos ipsius vasalli defuncti; tum fructus illius anni, quo vasallus mortuus est, secundum dispositionem textus in 2. F. 28. §. *his consequenter.* ad filias vel hæredem testamentarium spectabunt. Hartm. Pistor. *lib. 1. q. 24. num. 50.* Vultej. *d. feud. lib. 1. c. 11. n. 222.* qui *ibid. num. 223.* & *seqq.* idem jus dicti textus extendit etiam ad eos casus (1.) quo vasallus relinquit hæredes masculos & fœminas, quorum illi in feudo & in allodio simul, hæc verò in allodio tantum succedunt. (2.) Quo vasallo mortuo, nulli hæredes existunt, ut feudum vel ad dominum vel ad agnatos ejus deveniat, sed creditores debitorum sibi solutionem ex fructibus ultimi anni quærunt, per text. 2. F. 45. & 2. F. 86. add. Rosenth. *d. feud. conclus. 42. num. 45.*

## XXII.

Huc ulterius pertinent (I.) hæredes testatoris, e. g. quando relinquitur legatum in singulos annos, qualiter dividantur fructus? vid. *l. 8. ff. d. ann. legat. § arg. l. 4. ff. eod.* (II.) hæredes ejus, qui rem aliquam ad tempus vitæ emit, inter quem & venditorem itidem quæstio de acquirendis fructibus ultimi anni moveri solet. (III.) hæredes emphyteutæ, ratione tum fructuum emphyteuseos, tum canonis, finito scil. jure emphyteutico morte emphyteutæ. (IV.) hæres aut vidua Clerici, ratione fructuum beneficii Ecclesiastici seu præbendæ, aut ratione salarii. vid. Carpzov. *l. 1. jurisprad. Eccles. def. 173.* (V.) hæres quoque ultimi possessoris majoratus seu primogenii, & qui sunt alii successores eorum, quibus jus fructus suòs faciendi competere potest; modò ipsi aliàs jure habiles sint, ut ex successione jus acquirendi fructus vel quorumcunque annorum

*Quo*

norum, vel in specie ultimi anni, sive omnes sive pro rata illius temporis ab antecessoribus suis consequi possint. Conf. Schrader. *de feud. part. 2. part. 9 sect. 3. n. 84. & seqq.* Alvarott. *ad §. his consequenter. 2. F. 28 p. m. 200.*

XXIII.

*Objectum* fructuum ultimi anni seu potius juris percipiendorum illorum, sunt, *tum* ipsimet fructus, redditus & commoda quælibet, ut corpus considerata; *tum* causæ, ex quibus percipiuntur, quatenus scilicet hoc loco quæritur: qui & quales fructus & ex quo jure in ultimo anno percipi & acquiri possint? huc repetenda ea, quæ supra in thesi VI. & seqq. de quibusdam fructuum speciebus annotavimus. Causæ verò, ex quibus fructus ultimi anni acquirere & percipere licet, tales omnes sunt in quibus jus aliquod percipiendi fructus quorumcunque annorum constitutum est, ut proinde ex iisdem fructus ultimi anni, ab eo, qui jus percipiendi illos habet, acquiri possint. Et quoniam fructus hic tam latè dicuntur, ut quodcunque commodum, redditum ac utilitatem, quæ quis mediante jure sibi competente, vel ex fundo quodam, vel nomine officii, e. g. salaria, præbendas, quæ ex beneficio Ecclesiastico Clericis debentur, vel ex quavis alia causa percipit, ut majoratus, legati, antichreseos, emptionis venditionis conditionatæ &c. de quibus quædam jam supra in thesi XXII. diximus. add. Schrader. *d. feud. part. 2. part. 9. sect. 3.* idè causam etiam quamcunque ad objectum hîc relatam volumus, in qua quæstio de fructibus aut commodis ultimi anni incidere potest.

XXIV.

Inter potiores tamen causas referimur (1.) Dotem, ratione cujus fructus ultimi anni pro rata temporis inter maritum vel ejus hæredes & uxorem sunt dividendi, *l. 78. §. 2. v. divortio. ff. d. jur. dot. l. 7. §. 1. & 2. ff. solut. matrim. l. 11. ff. eod. l. un. §. 9. C. d. R. U. A.* Requiritur autem, ut res seu fundus inæstimatò in dotem datus sit: nam res æstimatò data, aut quæ in quantitate consistit, propriè dotalis non est, ideoque omnes fructus qui post divortium vel mortem alterutrius conjugis inde percipiuntur, ad maritum vel heredes ejus pertinent, qui liberantur reddendo æstimationem rei vel fundi

B 3

dota-

dotalis. *l. un. § 9. C d. R. U. A* vel rem in eodem genere, *l. 42. ff. d. jur. dot.* Atque hic non distinguimus, fructusne sint naturales, an civiles, percepti ne fuerint à marito, an adhuc pendeant. *l. 7. §. 15. l. 25. §. 4. ff. solut. matrim.* Omnes enim dispositioni *l. 7. §. 1. § 2. ff. eod.* subjacere asserimus. Non obstat quod Paulus in *sentent. lib. 2. tit. 22.* loquatur de perceptis tantum; quod & nos, sed eo demum casu procedere dicimus, si quando ita convenierit. *l. 31. ff. de pact. dotal.* Non tamen pactis dotalibus constitui potest, ut omnes planè fructus dotis ad uxorem pertineant, nulli verò ad maritum; manifestam enim contradictionem id implicaret, *l. 20. C d. jur. dot. junct l. 4. C. d. donat. ante nupt. conf. Brunnemann. ad d. l. 20. C. de jur. dot.* Fundamentum autem fructuum dotalium dividendorum, ponimus in dominio civili, quod maritus in re dotali habet. *l. 7. §. 3. ff. d. jur. dot l. 13. §. 2. ff. d. fund. dot. l. 47. §. ult. ff. de pecul. pr. §. 1. I. quib. alien. lic. vel non add. Struv. in syntagm. jur. Civ. exerc. 30. th 11.* Non præcisè autem perceptioni fructuum ultimi anni locum esse in fundo dotali putamus, sed etiam in aliis quibuscunque rebus fructiferis in dotem datis, ut nominibus, actionibus, usufructu, hæreditate &c. prout enim ex illis aliqua saltem utilitas ac fructus capi potest, ita etiam ultimo anno pro rata temporis, quo matrimonium stetit, à marito ejusque hæredibus percipiendus ille est. *l. 78. §. 2. ff. d. jur. dot. conf. Struv. in syntagm. jur. Civ. d. l. imò etiam in re aliena in dotem data, ratio fructuum ultimi anni est habenda. l. 11. ff. solut. matrim.*

XXV.

(II.) Ususfructum; De quo Cujac. *4. F. 30.* putat, quod eo finito fructus pendentes & percepti dividendi sint inter dominum proprietatis & usufructuarium pro rata temporis, quo ususfructus constitit in persona fructuarii in eo anno. A qua tamen sententia meritò recedimus, atque cum communi DD. facientes, statuimus: fructus pendentes omnes ad dominum proprietatis, perceptos verò eo, quo dicitur modo in *l. 13 ff. quib. mod. ususfr. amitt l. 78 ff. d. R. U.* ad fructuarium pertinere, si ususfructus eo vivo, casibus in *l. 16. §. 2 ff. famil. ercisc. l. 16. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 12. ff. ad L. Aquil.* vel ad ejus hæredes, si morte fructuarii finitus fuerit. *§. 37. I. d. R. D. l. 8 ff. d. ann. legat. l. 12. bus*

§. ult. ff. d. usufr. Nam sententia Cujac. non tantum sufficientibus juris Civilis textibus destituitur. vid. Magnific. Dn. D. Rehan &c. in paralipom. Meier. dec. 2. q. 1. sed & communis in comparatione ad Cujac. sententiam planè non iniqua videri potest, tum quod fructuarii jus in nuda perceptione fructuum, quæ morte ejusextinguitur, non in aliqua domini ratione, quemadmodum mariti jus percipiendi fructus dotales, consistit. l. 25. §. 1. ff. d. usufr. tum quod eo casu, quo fructus ad fructuarium vel ad ejus hæredes non spectant, impensæ ex æquitate restituendæ veniant; præsertim si fructus ad dominum proprietatis spectantes, superent ipsas impensas, ne ex alterius damno & jactura dominus locupletetur, l. 14. ff. de condict. indeb. add. l. 46. ff. d. usufr. l. 51. pr. ff. famil. ercisc. conf. Carpz. part. 3. const. 32. def. 11. Et ita communiter etiam Feudistæ de impensis hæredibus vasalli restituendis, quo casu fructus ad dominum spectant, sentiunt. vid. Vultej. d. feud. lib. 1. c. 11. n. 226.

XXVI.

Non etiam distinguimus quoad fructus à fructuario perceptos, quales isti fuerint, sive naturales sive industriales sive civiles: Isti enim omnes vel ad ipsum vel ad ejus hæredes finito usufructu spectant, ad quem etiam omnia commoda & emolumenta tam ad necessitatem quam ad voluptatem ex re fructuaria pertinent. l. 7. pr. l. 9. pr. l. 58. pr. ff. d. usufr. Quoad fructus tamen seu redditus civiles distinguimus: aut redditus seu pensio solvenda est propter usum rei à fructuario locatæ, quem res singulis momentis præstat, ut est usus ædium, servi &c. aut solvenda est propter usum, quem res certo anni tantum tempore præstat, ut agri &c. illo casu, redditus pro rata temporis ad fructuarium vel ejus hæredes pertinent, licet dies redditus solvendi, tempore finiti usufructus nondum venerit: hoc verò casu, quo merces pro re, ex qua certo tempore fructus proveniunt, solvenda est, redditus spectat ad fructuarium & hæredes ejus, si conductor aut Colonus illos percepit. l. 58. ff. d. usufr. l. 26. ff. eod. imò & conductor hæredibus fructuarii pro rata temporis pensionem præstare tenetur, quo fructus ipse ex fundo fructuario percepit licet ante quinquennium aut aliud certum tempus, ad quod usque fundus locatus est, fructuarius mortuus fuerit. l. 9. §. 1. ff. locat. Quid autem jure Saxo-

nico

nico in fructibus ultimi anni percipiendis obtineat, docetur in Landrecht. lib. 2. artic. 58. vid. Carpz. part. 1. const. 5. def. 21. n. 4. Richter. decis. 56. n. 4.

XXVII.

Hanc etiam fructuum ultimi anni rationem, obtinere in Dotalitio statuimus, quia usufructus species est. vid. Carpz. part. 2. const. 42. def. 7. nisi specialis consuetudo aliud statuatur. Brunnen. ad l. 1. C. de usufr. Ita peculiare quoddam statutum Argentoratense de redditibus dotalitii, qui vel ex agris, vel ex pratis, vel in pecunia certa pensione annua præstandi sunt, disposuit: ut, si conjux, cui jus dotalitii est constitutum, vel ante tempus fructuum perceptionis, vel ante terminum (vor dem Ziel) quo pensio deberi cœpit, defunctus fuerit, redditus isti vel annua pensio ad dominum proprietatis ejusve hæredes; si secus, ad hæredes ejus, cui jus dotalitii fuit constitutum, pertinere debeant. vid. Dn. D. Joh. Frideric. Schmid. olim Illustris Reip. Argentoratensis Syndicus &c. qui statutum illud refert in seinem schriftlichen Bedenken: wie die Wittumb geerbet werden sollen.

XXVIII.

Idem etiam juris, quod de fructibus civilibus in usufructu obtinere diximus, valet in censibus, decimis & similibus redditibus, qui ratione juris in re ut utilis domini præstantur, ut isti pro rata ultimi anni inter eum, cujus tale jus solvitur, & dominum, ad quem illud revertitur, dividantur. vid. Berlich, part. 33. c. 22. §. 44. n. 2.

XXIX.

(III.) Feudum. 2. F. 28. §. his consequenter. 2. F. 45. 2. F. 86. Circa quod itidem non putamus distinguendum esse, inter fructus pendentes & perceptos, sive etiam naturales sive industriales fuerint, sed omnes secundum dispositionem, d. §. his consequenter. 2. F. 28. vel ad vasallum ejusque heredes, soluto jure vasalli post Calend Mart. vel ad dominum feudi agnatosve, soluto eodem post Augustum ante Calend Mart. spectant. Neque hic Cujac. assentiendum putamus, qui hic iterum ad 4. F. 30. sicut supra thes. XXV. in usufructu, ita & in feudo, eo aperto vel finito, fructus tam perceptos quam pendentes cujuscunque generis sunt, pro rata temporis, quo ultimo in anno jus vasalli stetit, inter  
vasal-

B32

vasallum ejusque hæredes & inter dominum aut agnatos dividendos esse putat Sed nititur Cujac. falsa hypothese, quod putet in genere fructus esse dividendos pro rata illius temporis, quo jus percipiendi eo anno, quo id solvitur, duravit: quod principium sibi à particulari sc. causa dotis, in *l. 7. §. 1. & 2. ff. solut. matrim. l. 78. §. 2. ff. d. jur. dot.* collegit, atque exinde universaliter tam ad usumfructum, quam ad feudum conclusit, neglectis expressis textibus juris feudalis, qui aliud planè insinuant. Alii aliam sequuntur in fructibus feudalibus ultimi anni sententiam, quos refutatos videre licet apud Cujac. *d. l. Vultej. d. feud. lib. 1. c. 11. n. 211* & Ludvvel. *in synops. jur. feud. p. m. 391. & seqq.* Sed horum omnium sententias hic excutere, nunc non vacat; nostra enim sententia, sicut communis est, ita etiam meliorem & juri feudali convenientiorem eam tutò asserere possumus; Hic verò communi DD. quos refert Vultej. *d. feud. lib. 1. c. 11. n. 226.* calculo meritò approbatum, ut, quo casu fructus ad vasalli hæredes non pertinent, ipsis impensæ, pro cultura & cura, restituerentur.

XXX.

Obiter hic quæri potest; si per mortem vasalli post Calend. Mart. agnato apertum fuerit feudum, quo casu omnes fructus ejus anni ad filias hæredes allodiales spectant, & consuetudo simul vigeat, ut agnatus vasalli relictas filias teneatur alimentare vel etiam dotare, num filia fructus illos sibi solis retinere possint, & agnatus nihilominus illas ex consuetudine alere teneatur? Quod affirmandum censemus, quia alimentorum præstatio ex consuetudine, quæ, ultrà quod legis vim habeat. *l. 32. & seq. ff. de LL. l. 2. C. qua sit long. consuet. ex capite feudi* quæsitæ, satis rationabilis est, dependet: nisi id cui minus æquum videatur, tum, cum filia ad sui sustentationem sufficientem substantiam habeant; In Marchia tamen Brandeburgica filia Nobiles etiam amplissimum allodium habentes ex feudo dotandæ sunt, teste Brunnemann. *ad l. un. C. d. R. U. A.*

XXXI.

Sed quid mortuo vasallo post Augustum, pendente adhuc vindemia, num illa ad dominum pertinebit, cui culturam atque curam adhibuit vasallus? quod cum Vultej. *d. feud. lib. 1. c. 11.*

C

111111



num. 210. negamus, atque eam ad vasalli hæredes pertinere respondemus, per elegantem dict. Vultej. explicationem *d. l. add. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 9. Hartm. Pistor. l. 1. q. 24. num. 49.*

XXXII.

Quod porrò fructus spectat, qui vel bis in anno proveniunt, tempore scil. anni communis minori, puta 6. mensium, ut lana &c. vel spatio anni majori, puta biennii, triennii aut quinquennii, ut sunt fructus sylvæ cæduæ, piscinæ, &c. eos quoque acquisitioni ultimo anno secundum dispositionem *d. §. his consequenter. 2. F. 28.* subjacere putamus, computato scil. hoc majori vel minori tempore instar unius anni. Vultej. *d. feud l. 1. c. 11. n. 212. conf. supra th. II.*

Civiles verò fructus feudales sub dispositione *d. §. his consequenter. 2. F. 28.* comprehendi nobis non videtur, quia *d. §. de fructibus* ex natura rei feudalis provenientibus tantum loquitur, & quoniam aliàs de illis specialiter nihil in jure feudali dispositum reperitur, ideò de istis secundum sequentes distinctiones in jure ubique obtinentes, quæ nec *d. §. his consequenter* negligunt, jure meritoque arbitrandum esse sentimus.

XXXIII.

Ante omnia autem distinguendum est: *num* redditus civiles, sive temporales, ut in Colono &c. sive perpetui, ut in fundo censitico, emphyteutico, decimali &c. constituti fuerint à domino, iique unà cum re vasallo in feudum concessi sint, *num* verò à vasallo, post factam investituram in feudo, alii cuique. Si à Domino; subdistinguiamus: *an* isti redditus veniant nomine mercedis propter contractum locationis, *an* solvantur ex alio jure? *priori* casu dicimus obtinere jus, quod supra thes. XXVI. de fructibus civilibus in ratione ususfructus exposuimus; *posteriori* casu, si ex alio jure quam locationis & conductionis redditus civilis, ut canon, census, decimæ &c. præstatur, subdistinguum esse putamus: *num* dies solvendi redditus ante mortem vasalli cesserit, *num* non: *Illo* casu pensio vindicanda est hæredibus vasalli, licet tempus solutionis nondum venerit, quia jam nata est obligatio. *l. 213. ff. d. V. S. hoc* verò casu, pensio spectat ad Dominum vel agnatos qui in feudo succedunt. Add. potest jus, quod statutum Argentorat. supra in thes. XXVII. adductum, in fructibus dotalitii constituit.

XXXIV.



193.

XXXIV.

Quando verò post investituram res feudalis à vasallo ad re-  
ditum civilem percipiendum vel in locationem vel in emphyteusin  
vel aliam juris figuram concessa est, tum finito feudo duplex hic  
negotium nos respicere oportet: *alterum*, quod domino cum va-  
sallo; *alterum*, quod vasallo ejusque hæredibus cum conductori-  
bus, emphyteutis &c. intercedit: *Quoad primum* respectum, to-  
tam rem secundum dispositionem *d. §. his consequenter. 2. F. 28.*  
esse dijudicandam censemus; nihil enim hic vasallus suorum ho-  
minum constitutione domino feudi vel agnatis præjudicare potest,  
atque sibi hic conductores, vel emphyteutæ imputare debent, quod  
cum vasallo, inter quem & dominum tale jus feudi intercedit, con-  
traxerint, si nimirum ad perceptionem fructuum pervenire amplius  
non possunt, *l. 9. §. 1. ff. locat. Quoad secundum* respectum, res  
inter vasallum & homines suos quos in feudo constituit, ex jure  
Civili tota itidem *sec. l. 58. ff. d. usufr. Et d. l. 9. §. 1. ff. locat.* ob-  
servata scil. reddituum distinctione, de qua in præced. thes. & supra  
th. XXVI. dictum, decidenda est.

XXXV.

Ratio, cur hæc ita distinctè obtineant, quando dominus in  
re feudali ante investituram, & quando vasallus post investituram  
ejusmodi redditum civilem constituit, est: quia illo casu, non tam  
ipsa res quam potius redditus, qui rei istius occasione à vasallo per-  
cipitur, in feudum concessus est; hoc verò casu, res ipsa proximè  
feudalis est, & manet, non redditus, fruiturque sic vasallus per  
alium.

XXXVI.

A fructibus ultimi anni excludimus ea omnia, quæcunque **Objectum**  
jure ac nomine fructuum non veniunt, dum nec ex re, nec occasio- **negativum.**  
ne rei, eaque tam corporali quam incorporali percipiuntur, uti  
præsertim est (I.) thesaurus. *l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.* Cui addi  
potest (II.) accessio per alluvionem. *l. 10. §. 1. ff. d. jur. dot.*  
(III.) partus ancillæ. *§. 38. I. d. R. D. l. 28. ff. d. usur.* (IV.) ra-  
tione dotis in specie excluduntur fructus ex re dotali, vel ante vel  
post matrimonium, à marito percepti, quia dos sine matrimonio  
non est, unde maritus ex ea fructus acquirere nequit. *l. 5. l. 6. ff. solut.*  
*matrim, l. 7. §. 4. ff. eod. nisi aliud convenerit. l. 31. ff. d. pact. dot.*

C 2

XXXVII.

XIV.



## XXXVII.

Num etiam ratio fructuum ultimi anni in venatione tam ferarum, quam piscium & avium locum habeat, si illa in dotem, vel usumfructum vel feudum concessa fuerit? de eo vix dubitare licet, quia & hæc in fructu fundi esse, atque utilitatem præstare potest. *l. 9. §. 5. l. 62. pr. ff. d. usufr. l. 22. pr. ff. de instr. vel instr. legat.* Quare etiam in his fructibus, quos venatio fert, nihil diversi ab eo, quod jam diximus, obtinere putamus; Ita ut respectu fructuarii, nihil ad ipsum vel ejus hæredes finito usufructu pertineat, nisi quod jam occupavit aut percepit; respectu mariti, ut venatio ultimi anni pro rata dividatur; respectu vasalli, ut ejus hæredes venationibus in fundo feudali ad dominum reverso uti possint, usque ad finem anni feudalis (*des Sterbjahrs*) i. e. usque ad Calend. Septembr. ex quo infert Schrader. *de feud. part. 2. part. 9. sect. 3. n. 66. vers. deinde etiam ex hoc infertur &c.* hæredes vasalli post Calend. Mart. defuncti, in fundo feudali ad Dominum devoluto, usque ad Calend. Septembr. cerevisiam coquere, cauponam exercere &c. posse. Neque à fructibus ultimi anni excludenda sunt (II.) Operæ rusticorum vid. Brunnem. *ad l. 26. ff. de usur.* neque (III.) marmor in fundo repertum, secundum tamen distinctionem *in l. 7. §. 13. ff. solut. matrim.* neque (IV.) auri & argenti fodinæ. per *d. l. 7. §. 14. solut. matrim. add. l. 8. ff. eod.* atque hæc de Objecto dicta sufficiant.

## XXXVIII.

Forma.

*Forma* fructuum ultimi anni *alia* est generica, *alia* specifica, *illa* consistit in jure i. e. facultate percipiendi commoda quæcunque &c. (prout scil. nomen fructuum in præsentī disputatione à nobis accipi, suprà diximus:) Atque ut fructuum quorumcunque annorum natura est accessoria, in utilitatis ratione consistens, ita etiam in specie fructuum ultimi anni: Hinc etiam propter utilitatis suæ naturam fructus intelligi nequeunt, nisi deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratiâ fiunt. *l. 36. §. fin. ff. d. hered. pet. l. 7. pr. ff. solut. matrim. add. suprà thes. XXV.* Hæc scil. specifica dependet tunc à tempore, quo jus perceptionis solvitur, fructibusque percipiendis finis acterminus ponitur; tunc à modo & ratione percipiendi & ac-

& acquirendi illos, *vel* omnes totius ultimi anni, *vel* in certa quantitate pro rata temporis, quo jus percipiendi stetit.

XXXIX.

Qui autem fructus vel sub ratione integri i. e. omnes, vel pro rata temporis ultimi anni ex una alterave causa percipiendi & acquirendi veniant, jam ex iis, quæ de Objecto diximus, constare potest. Hic loci exponendum tantum est (1.) quid & quale & quomodo computandum sit illud tempus, quo jus percipiendi solvitur, quodque communiter ultimus vocatur annus; unde etiam fructus ultimi anni denominantur, (2.) de Modo & ratione dividendi fructus. Quod *ad primum*, cum supra in Definitione nominali id ipsum jam satis attigerimus, ideo illius ulteriore expositione & deductione, tempore exclusi, hic supersedemus. Paucis tantum hic de anno feudali notari meretur; illum communiter computari à Calend. Septembr. usque ad eundem diem sequentis anni; Deinde tempus, intra quod vasallus mortuus fructus ultimi anni ad hæredes transmittit, includere 6. menses, atque verba: *usque ad Augustum &c. in §. his consequenter. 2. F. 28.* inclusivè esse intelligenda, ita ut totus mensis Augustus adhuc hæredibus vasalli, qui eo mense mortuus est, pro fructibus consequendis, sit tribuendus, quod & Feudistæ communiter docent, atque menti *d. §.* conveniens est. Quod *ad secundum*, modum scil. & rationem dividendi fructus, unde quantitas, qua fructus in ultimo anno sunt percipiendi & acquirendi, dependet; is citra dubium ex modo computandi anni ultimi fuit, ut pro ratione illius temporis, quo jus percipiendi fructus stetit, etiam portio & quantitas fructuum, in iis causis, in quibus & æquitas divisionem jussit, sit facienda; quemadmodum id in fructibus dotalibus dividendis ex specie *l. 7. §. 1. & 2. ff. solut. matrim.* potissimum videre est: Pro cuius legis intellectu & declaratione quæ multis etiam & exercitatissimis viris negotium facessit, cuiusque interpretationem præstare, arduum atque difficile esse, ait Anton. Fab. *lib. 1. conject. c. 13.* breviter nos expediemus.

XL.

Inter tot autem diversasque DD. sententias, quarum quædam Jul. Pac. *in libr. singul. & Comment. ad §. 1. & seqq. d. l. 7. ff. solut. matrim.* suam quoque à mente legis aberrantem subjiciens,



collegit; malumus communem DD. sententiam sequi, paucis quibusdam adjectis, quibus eam nonnihil dilucidiosem reddi & suppleri posse credimus; scil. ut anrequam casum utriusque §. 1. & 2. d. l. 7. aggrediamur, simus præmoniti, Papinianum ibi (1.) loqui de anno matrimonii ultimo eo, qui ante se alium non habuit, quod & cuilibet ex primo d. l. intuitu obvium esse potest. (2.) præsupponere regulam ex l. 78. §. 2. ff. d. jur. dot. fructus scil. dotales ultimi anni, pro rata temporis, quo matrimonium stetit, esse dividendos. (3.) ipsum loqui de fructibus dotalibus civilibus, qui ex locatione fundi dotalis percipiuntur, quod ipsum ex textu apertum est; unde peculiarem aliam in his fructibus dividendis observandam regulam casibus, quos dd. §§. continent, præmittit, quæ hæc est: *Divitio facta, fructus ultimi anni non ex die locationis, sed habita ratione precedentis temporis, quo matrimonium stetit, sunt dividendi.* (4.) ipsum huic deinde regulæ in d. §. 1. exceptionem, in §. verò 2. exemplum regulæ adæquatum subijcere. Quibus observatis omnis difficultas circa utrumque §. d. l. maximè circa §. 1. alias occurrens, superari posse videtur; Casum exceptionis in d. §. 1. contentæ satis accuratè & eruditè evolutum vid. apud Cujac. 4. F. 30. & 14. obs. 22. item Strauch. dissert. III. aph. 15. ad quos brevitatis studio benevolum Lectorem remittimus.

XLI.

Ratio autem æquitatis, ob quam Papin. hic annum locationis diversè à regula computat, quartanque mercedis cum fructibus vindemiæ confusam, denuò dividendam censet, hæc est: quod merces locationis hic non simpliciter & principaliter spectanda veniat, cum maritus jam fructus vindemiæ sufficienter in solatium onerum matrimonialium, pro rata temporis, quo matrimonium stetit, percipere videatur, ita ut parum absit, quin quicquam ex mercede instantis anni amplius ipsum consequi æquum sit: à quo casus seq. §. 2. diversus est, ubi in fructus ultimi anni, nil nisi locationis merces venit; Unde etiam divisio mercedis pro rata temporis, quo matrimonium stetit, secundum regulam in §. 1. propositam, instituenda est, ut scil. annus ultimus computetur non ex die locationis, sed ex die matrimonii, quo prædium dotale factum, atque pro rata hujus temporis portio ex fructibus deducatur, conf. Cujac. dd. ll.

XLII.

235

XLII.

Effectus fructuum ultimi anni *alius* est primus, *alius* secundus seu ex primo ortus: *ille* est obligatio ad præstandos fructus ultimi anni in eo, ad quem soluto jure perceptionis fructus ultimi anni unà cum re pervenerunt, sive ipse dominus rei proprietatis fuerit, sive etiam successor vel in ipsa re vel in officio: *Secundus* Effectus sunt remedia & actiones, quæ propter fructus consequendos competere solent, ut Rei vindicatio, Condictio sine causa, si scil. sine causa sint penes possessorem. *l. 1. §. fin. ff. d. condict. indeb. l. 3. C. de condict. ex leg.*

XLIII.

Ad Contraria spectant tum Culpa, qua jus percipiendi fructus amissum fuit, cuius etiam *suprà in Causa sine qua non*, mentionem fecimus; tum modi, quibus aliàs fructuum perceptio quorumcunque annorum vel impeditur, e. g. pacta in contrarium dicta, vel minuitur, e. g. compensationes, vel planè extinguitur. Sed filium Disputationis nostræ hic abrumpendum est. Deo T. O. M. pro hætenus concessa gratia eam conscribendi, sit Laus,

Honor & gloria in sempiterna secula

Amen!

F I N I S.





Strasbourg, Diss., 1680-84

X 2284278

ULB Halle 3  
006 682 243



VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

1673.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
DE

02439  
1681  
10

# FRUCTIBUS ULTIMI ANNI

Sivè

Bon denen

Letzt-Jährigen Intraden / 13/  
QUAM

Sub AUSP. ET PRÆSID. SS. TRINIT.

EX DECRETO ET AUCTORITATE

*Magnifici, Nobilissimi, & Amplif-  
simi Fctorum Ordinis in Inclyta  
Argentoratensium Universitate*

Pro

Summis in utroque Jure Honoribus  
& Privilegiis DOCTORALIBUS  
ritè consequendis,

*Publico & solenni Examine submittit,*

GEORGIUS FRIDERICUS Drth.  
Hanoicus.

*Ad Diem 19. Martii M. DC. LXXXI.*  
ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

